Incipit liber baruch.

Et hec verba libri que scripsit baruch filius nerii filius maasie filius sedecie filius sedei filius helcie in babylonia in anno quinto in septima die mensis in tempore quo ceperunt chaldei ierusalem et succenderunt eam igni. Et legit baruch verba libri huius ad aures iechonie filii ioachim regis iuda et ad aures universi populi venientis ad librum, et ad aures potentium filiorum regum et ad aures presbiterorum et ad aures populi a minimo usque ad magnum eorum omnium habitantium in babylonia et ad flumen sudi. Qui audientes plorabant et ieiunabant et orabant in conspectu domini. Et collegerunt pecuniam secundum quod potuit uniuscuiusque manus, et miserunt in ierusalem ad ioachim filium helcie filii salomonis sacerdotem et ad sacerdotes et ad omnem populum qui inventi sunt cum eo in ierusalem, cum acciperet vasa templi domini que ablata fuerant de templo, revocare in terram iuda decima die mensis sivan, vasa argentea que fecit sedecias filius iosie rex iuda, posteaquam cepisset nabuchodonosor rex babylonis iechoniam et principes et cunctos potentes et populum terre ab ierusalem, et duxit eos vinctos in babylonem. Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias de quibus emite holocautomata et thus, et facite manna, et offerte pro peccato ad aram domini dei nostri, et orate pro vita nabuchodonosor regis babylonis et pro vita balthasar filii eius, ut sint dies eorum sicut dies celi super terram, et ut det dominus virtutem nobis et illuminet oculos nostros ut vivamus sub umbra nabuchodonosor regis babylonis et sub umbra balthasar filii eius, et serviamus eis multis diebus et inveniamus gratiam in conspectu eorum. Et pro nobis ipsis orate ad dominum deum nostrum, quia peccavimus domino deo nostro, et non est aversus furor eius a nobis usque in hunc diem. Et legite librum istum quem misimus ad vos recitari in templo domini in die sollempni et in die opportuno. Et dicetis: Domino deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostre sicut est dies hec omni iuda et habitantibus in ierusalem, regibus nostris et principibus nostris et sacerdotibus nostris et prophetis nostris et patribus nostris. Peccavimus ante dominum deum nostrum, et non credidimus diffidentes in eum, et non fuimus subiectibiles illi, et non audivimus vocem domini dei nostri ut ambularemus in mandatis eius que dedit nobis. A die qua eduxit patres nostros de terra egypti usque ad diem hanc eramus incredibiles ad dominum deum nostrum, et dissipati recessimus ne audiremus vocem ipsius. Et adheserunt nobis mala multa et maledictiones que constituit dominus moysi servo suo, qui eduxit patres nostros de terra egypti, dare nobis terram fluentem lac et mel, sicut hodierna die. Et non audivimus vocem domini dei nostri secundum omnia verba prophetarum quos misit ad nos, et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni operari diis alienis, facientes mala ante oculos domini dei nostri.

II. Propter quod statuit dominus deus noster verbum suum quod locutus est ad nos et ad iudices nostros qui iudicaverunt israel, et ad reges nostros et ad principes nostros et ad omnem israel et iuda, ut adduceret super nos mala magna que non sunt facta sub celo quemadmodum facta sunt in ierusalem, secundum que scripta sunt in lege moysi, ut manducaret homo carnes filii sui et carnes filie sue. Et dedit illos sub manus regum omnium qui sunt in circuitu nostro in improperium et in desolationem in omnibus populis in quibus nos dispersit dominus. Et facti sumus subtus et non supra, quia peccavimus domino deo nostro non obaudiendo voci ipsius. Domino deo nostro iustitia, nobis autem et patribus nostris confusio faciei sicut est dies hec. Quia locutus est dominus super nos omnia mala hec que venerunt super nos, et non sumus deprecati faciem domini dei nostri ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis. Et vigilavit dominus in malis et adduxit ea super nos, quia iustus est dominus in omnibus operibus suis que mandavit nobis, et non audivimus vocem ipsius ut iremus in preceptis domini que dedit ante faciem nostram. Et nunc domine deus israel qui eduxisti populum tuum de terra egypti in manu valida et in signis et in prodigiis et in virtute tua magna et in brachio excelso, et fecisti tibi nomen sicut est dies iste: peccavimus, impie egimus, inique egimus, domine deus noster, in omnibus iustitiis tuis. Avertatur ira tua a nobis, quia derelicti sumus pauci inter gentes ubi dispersisti nos. Exaudi domine preces nostras et orationes nostras, et educ nos propter te, et da nobis invenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt, ut sciat omnis terra quia tu es dominus deus noster, et quia nomen tuum invocatum est super israel et super genus ipsius. Respice domine de domo sancta tua in nos, et inclina aurem tuam et exaudi nos. Aperi oculos tuos et vide, quia non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem et iustificationem domino, sed anima que tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et iustitiam domino. Quia non secundum iustitias patrum nostrorum nos fundimus preces et petimus misericordiam ante conspectum tuum, domine deus noster, sed quia misisti iram tuam et furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens: Sic dicit dominus: Inclinate humerum vestrum et cervicem vestram, et opera facite regi babylonis, et sedebitis in terra quam dedi patribus vestris. Quod si non audieritis vocem domini dei vestri operari regi babylonis, defectionem vestram faciam de civitatibus iuda et a foris ierusalem, et auferam a vobis vocem iocunditatis et vocem gaudii, et vocem sponsi et vocem sponse, et erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam. Et non audierunt vocem tuam ut operarentur regi babylonis, et statuisti verba tua que locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo. Et ecce proiecta sunt in calore solis et in gelu noctis, et mortui sunt in doloribus pessimis, in fame et in gladio et in emissione. Et posuisti templum in quo invocatum est nomen tuum in ipso sicut hec dies propter iniquitatem domus israel et domus iuda. Et fecisti in nobis domine deus noster secundum omnem bonitatem tuam et secundum omnem miserationem tuam illam magnam, sicut locutus es in manu pueri tui moysi in die qua precepisti ei scribere legem tuam coram filiis israel dicens: Si non audieritis vocem meam, multitudo hec magna convertetur in minimam in gentibus, quo ego eos dispergam, quia scio quod me non audiet populus; populus enim est dura cervice.

[tem]pore aliquo manserunt. Deinde quomodo possunt ea que fabricata sunt ab ipsis esse dii? Reliquerunt autem falsa et opprobrium postea futuris. Nam cum supervenerit illis prelium et mala, cogitant sacerdotes ubi se abscondant cum illis. Quomodo ergo sentiri debet quoniam dii sunt, qui nec de bello liberant se, neque de malis se eripiunt? Nam cum sint lignea et inaurata et inargentata, sciatur postea quia falsa sunt ab universis gentibus et regibus, que manifesta sunt quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum dei opus cum illis. Unde ergo notum est quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum dei opus in ipsis est? Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt. Iudicium quoque non discernent, neque regionem liberabunt ab iniuria, quia nihil possunt, sicut cornicule inter medium celi et terre. Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, aureorum et argenteorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient et liberabuntur, ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. Regi autem et bello non resistent. Quomodo ergo estimandum est aut recipiendum quia dii sunt? Non a furibus neque a latronibus se liberabunt dii lignei et lapidei et inaurati et inargentati, quibus hi qui fortiores sunt aurum et argentum et vestimentum quo operti sunt auferent illis et abibunt, nec sibi auxilium ferent. Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam, aut vas in domo utile in quo gloriabitur qui possidet illud, vel ostium in domo quod custodit que in ipsa sunt, quam falsi dii. Sol quidem et luna ac sidera, cum sint splendida et emissa ad utilitates, obaudiunt. Similiter et fulgur cum apparuerit perspicuum est. Idipsum autem et spiritus in omni regione spirat. Et nubes quibus cum imperatum fuerit a deo perambulare universum orbem perficiunt quod imperatum est eis. Ignis etiam missus desuper ut consumat montes et silvas, facit quod preceptum est ei. Hec autem neque speciebus neque virtutibus uni eorum similia sunt. Unde neque existimandum est neque dicendum illos esse deos, quando non possunt neque iudicium iudicare neque facere hominibus. Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos. Neque enim regibus maledicent neque benedicent. Signa etiam in celo gentibus non ostendunt, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna. Bestie meliores sunt illis, que possunt fugere sub tectum ac prodesse sibi. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii, propter quod ne timueritis eos. Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit, ita sunt dii illorum lignei et argentei et inaurati. Eodem modo et in orto spina alba super quam omnis avis sedet. Similiter et mortuo proiecto in tenebris, similes sunt dii illorum lignei et inaurati et inargentati. A purpura quoque et murice que super illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii. Ipsi etiam postremo comeduntur, et erit opprobrium in regione. Melior est homo iustus qui non habet simulacra, nam erit longe ab opprobriis.

Explicit epistola Ieremie prophete.

Esdre .iii. c. iii.

Rex Darius fecit cenam magnam omnibus vernaculis suis et omnibus magistratibus Medie et Persis et omnibus purpuratis et pretoribus et consulibus et prefectis sub illo ab India usque Ethiopiam .c.xx.vii. provinciis. Et manducaverunt et biberunt et saturati reversi sunt. Darius autem rex ascendit in cubiculo suo et dormivit et experrectus est. Tunc illi tres iuvenes custodes corporis qui custodiebant corpus regis dixerunt alter alteri: Dicamus unusquisque nostrum sermonem qui prevaleat, et cuiuscumque apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi Darius rex dona magna, purpura cooperiri et in auro bibere et super aurum dormire et currum aureum infrenatum et cidarim bissinam et torquem circa collum, et secundo loco sedebit a Dario propter sapientiam suam, et cognatus Darii vocabitur. Et tunc scribentes singuli sermonem suum signaverunt et posuerunt sub cervicali Darii regis et dixerunt: Cum surrexerit rex, dabunt illi scriptum suum, et quemcumque iudicaverit rex et tres magnates Persidis quoniam verbum eius sapientius est, ipsi dabitur victoria sicut scriptum est. Unus scripsit: Fortius est vinum. Alius scripsit: Fortior est rex. Tertius scripsit: Fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas. Et cum surrexisset rex, acceperunt scripturam suam et dederunt illi et legit. Et mittens vocavit omnes magistratus Persarum et Medorum et purpuratos et pretores et prefectos, et sederunt in consilio, et lecta est scriptura coram ipsis. Et dixit: Vocate adolescentes, et ipsi indicabunt verba sua. Et vocati sunt et intraverunt. Et dixerunt illis: Indicate nobis de his que scripta sunt. Et cepit prior qui dixerat de fortitudine vini, et dixit: Viri, quam prevalet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud, seducit mentem. Et regis et pupilli facit mentem unam, et servi et liberi, pauperis et divitis. Et omnem mentem convertit in securitatem et iocunditatem, et non meminit omnem tristitiam et omne debitum. Et omnia precordia facit honesta, et non meminit regem neque magistratum, et omnia per talenta facit loqui. Et non meminerunt cum bibunt amicitiam neque fraternitatem, et post non multum sumunt gladios. Et cum a vino surrexerint, non meminerunt que gesserint. O viri, non prevalet vinum, quia sic cogit facere? Et tacuit hec dicens.

Et incepit alius loqui qui dixerat de fortitudine regis: O viri, non prevalent homines qui terram et mare optinent et omnia que in eis sunt? .iiii.
Rex autem super omnia prevalet et dominatur eorum, et omne quodcumque dixerit illis faciunt. Et si miserit illos ad bellatores, vadunt et demoliuntur montes et muros et turres. Iugulantur et iugulant, et regis verbum non pretereunt. Nam si vicerint, afferunt regi omnia quecumque predati fuerint semper et alia omnia. Et quotquot non militant neque pugnant sed colunt terram, iterum cum seminaverint, afferunt tributum regi. Et ipse unus solus: si dixerit occidere, occidunt; dixit remittere, remittunt; dixit percutere, percutiunt; dixit exterminare, exterminant; dixit edificare, edificant; dixit excidere, excidunt; dixit plantare, plantant. Et omnis plebs et virtutes eum exaudiunt. Et super hec ipse recumbit et bibit et dormit. Hi autem custodiunt in circuitu eius, et non possunt singuli facere opera sua, sed sunt ei obaudientes in omnibus. Quomodo non prevalet rex, quia sic dictus est? Et tacuit. Tertius qui dixerat de mulieribus et veritate, hic est Zorobabel, cepit loqui: Viri, non magnus rex et multi homines nec vinum prevalet. Quis est ergo qui dominatur eorum? Nonne mulieres genuerunt regem et omnem populum qui dominatur